

Marii et Catulli storum ducum in telis insectuisse nomina. Inscrubi solitos esse gladios tradit Higo in illud Isata 49, in morali sensu: *Posuit os meum, ut gladium acutum*. Sunè miles ille, qui Philippo Macedoni oculum exculpit, sagittæ suæ hoc ipsum inscripsit, ut refert Justinus lib. 7, ad finem. Solinus cap. 14. Hinc fortasse occasionem sumpsit, quicumque Antiquitatum illarum Biblicarum auctor fuit, ut lapidibus, quibus David pro telis utebatur, Patriarcharum nomina inscripta somniarit.

Sed illud magis ridiculum, quod ex eodem Thalmudistarum cerebro sumpsit manuscripta quædam paraphrasis, quæ in bibliothecâ Complutensium servatur, quam ego apud me habeo, et ex quâ multa sustulit Arias Montanus, cum Regis Bibliis nuper illam inseruit. Fingit enim Goliath retulisse Davidi id quod Philistinorum vulgò in castris ferebatur, quasi futuri eventus triste prognosticium. Sic autem Goliath ad David: «Vox audita est in Philistiis, quod ægnus certabat cum lupo, contentioque magna orta est inter quinque lapides; quia hic dicebat, ego ascendam primus. Nomen Abrahamæ justè scriptum erat in primo lapide: et nomen Isaac, qui ligatus fuerat in altari, in secundo; et nomen Jacob in tertio; in quarto et quinto nomen Moysi in excelsum, et vidit angelos, qui consilium inibant contra Goliath Philistæum. In illâ horâ fuit voluntas à facie Dei, ut lapsi qui erant inscripti nomine Aaron, ascenderet in fundam et percussit Philistæum in fronte ejus. In illâ horâ splendor vultus Philistæi mutatus est, et compages lumborum ejus dissolutæ sunt, et genua ejus ad invicem collidebantur, et gladius ejus cecidit, et lignum haste ejus confractum est. » Hæc illa paraphrasis nugatur in re tantâ, quæ, quia fidem merentur nullam, confutatione non egent.

ET MISIT EOS IN PERAM PASTORALEM, QUAM HABEBAT SECUM. Hebraicè: *In vase pastorali, et in perâ*. Quidam hic duo vasa, id est, instrumenta pastoralia distinguunt, alterum est mulctrale, in quo vulguntur oves et lac expressum excipitur; alterum est saccus ex pelle, quem *peram* appellamus, et ferendo cibo aliisque rebus ad curam pastorem necessariis accommodatum. Neque pauci sunt, qui vas primum

mulctram esse putant. In quibus est Augustinus homil. 51 de Monachia David: «Tulit quinque lapides de torrente de Ilvivo, et posuit in vase pastoris, quo lac mulgeri solet.» Chrysostomus, Homil. de David et Goliath: «Quinque lapides eligit, fundam sumit, situam lam pastoralem corripuit.» Rupertus lib. 2 in lib. 1 Reg. cap. 5: «Misit eos in peram pastorem, quam habebat secum; pera namque vas pastoritum est, in quo lac mulgeri solet.» Idem Angelomus. Induxit in eam cogitationem viros hosce tantos Septuaginta translatio, qui ubi noster, in *peram pastoralem*, ipsi converterunt *κἀδρον*, quod vas significat ligneum, aut luteum, aut ex quacumque aliâ materiâ durâ solidâque confectum, in quo vinum aut liquidus alius humor continetur. Sed reverâ vox hebraica latius patet et tantum significat *vase pastorum*.

Vasis porro nomen omnem materiam atque figuram comprehendit, et juxta rei naturam, de quâ loquimur, exponendum est. Hic verò nil videtur esse aliud quam sacculus, qui ex linteo sæpè, ex pelle plerumque fieri solet, quem Latini *peram*, Hispani *mochila* vocant aut *sarron*: quod pastorum insigne est, sicut baculus et funda. Ut quid enim David vas mulctrale secum ad certamen illud singulare portaret? At diceas, in vas interdum coriaceum lac solitum esse mulgeri; quod ego non nego: at quem haberet usum corium illud mulctrale in illâ Davidis ad fratres protectione, aut in illo rerum articulo? Nisi fortasse ad ferendos cibos et caseolos decem, qui dono tribuno mittebantur. At jam dictum est, vers. 22, ea omnia sub manu custodis ad sarcinas esse relicta. Nihil verò obsoletus et sordidus esset David, si vas illud olidum et immundum secum circumferret.

Quare dicendum est, optimè nostrum interpretem convertisse *peram*; neque de priori parte, id est, de vase pastoralis curasse. Quam ad rem observo conjunctionem *et*, in Scripturâ sacrâ non semper copulare extrema, sed interdum exponere, quod dubium erat et obscurum, et idem valere quod *id est*. Quâ de re nos in nostris Commentariis super Jeremiam, ubi hunc ipsum locum explicuimus in illam sententiam, quam nunc amplectimur, ad illud, cap. 22: *In manu Nabuchodonosor regis Babilonis, et in manu Chaldeorum; pro, id est, in manu Chaldeorum; alioqui posterior pars ibi esset otiosa. Et Actor, cap. 7, ad illud: Sed promissit dare illam in possessionem (Abrahæ)*

et semini ejus post ipsum: pro, id est, semini ejus. Neque enim Abrahamæ data est terræ promissionis possessio, cum in illâ, ut proxime dictum fuerat, neque passum pedis habuerit. Quare sensus erit: *In vase pastorali, id est, seu nempe in perâ, Sic exposuit Vatablus (1).*

(1) ET PROCESSIT ADVERSUS PHILISTÆUM. David hominibus videbatur inermis; sed gladio divinitatis erat armatus, ait S. Ambr. serm. 88. Alleg. S. August. serm. 197: Stabant ergo filii Israel contra adversarios quadraginta diebus. Quadraginta dies propter quatuor tempora et quatuor partes orbis terræ, vitam presentem significant, in quâ contra Goliath et exercitum ejus, id est, contra diabolum et angelos Christianorum populus pugnare non desinit; nec tamen vincere potest, nisi versus David Christum cum baculo, id est, cum crucis mysterio descendisset.

FLEGIT SIBI QUINQUE LEVISSIMOS LAPIDES. Vox hebraea *קטנ* sibi non invenitur. Porro *calia* duo significat: 1^o partiri, 2^o mollem, *laxum, glabrum esse*. Posterioriorem significationem omnes quos vidi interpretes hic sequuntur; et quidem voluit esse adjectivum; *laves lapidum*, id est, ex lapidibus levissimis (sed lege levibus, quia græcè *λαειν*, non *λαειν*), qualis syntaxis est in illo, *nigra lanarum*: genitivus totius seu partitivè positus. Alii *laves lapides, glabrum, politus*; alii substantivum faciunt, *levitates lapidum*, per hypallagen, pro *lapides levitatum*, id est, levissimos. *Lubricitates lapidum*, id est, lubricos lapides; nam prius substantivum, ex duobus in regimine positus, sæpè loco adjectivi est. Sic Is. 37, 24, *succidam proceritatem cedrorum ejus, delectationem abietum ejus*, hoc est, proceras cedros ejus, lectissimas abietos ejus. Nemo non videt hæc esse durissima; præterquam quod glabri lapides, et inde quoque politii, non tam ad hanc rem apti videntur, quam asperi, dirupti et acutas habentes prominentias, qui longè facilius et certius fronti inflantur: non video cur non primam partem verbi significationem sequamur et veramus, *partes vel partitioes, seu divisiones lapidum*; id est, quinque divisos lapides, non integros.

Tropol. S. Bern. serm. in Dominicam 4 post Pentecosten, per quinque lapides Davidis accipit quinque virtutes quibus prosternimus Goliath, id est, mentis elationem mirrurum comminationem penarum, promissionem premiorum, dilectionem Dei, imitationem sanctorum et orationem. Hinc rursus S. August. in psal. 55 conc. 1: «Quod David, ait, prostravit Goliath, Christus est, qui occidit diabolum. Quis est autem Christus, qui diabolum occidit? humilitas occidit superbiam.» Et mox: «Viam enim nobis fecit per humilitatem; quia per superbiam recesseramus à Deo, redire ad Deum nisi per humilitatem non poteramus, et quem nobis præponeremus ad imitandum non habebamus; omnis enim mortalitas hominum superbiam tumerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant prophete, patriarchæ, dedignabatur gens humanam imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis: et

VERS. — 41. IBAT AUTEM PHILISTÆUS INCENSUS. Superbus significatur incensus ab homine, qui nihil timeret, et præ se reliqua despiceret, quasi ad nuptias progredere et triumphum, non ad agonem, in quo de capite et viâ certandum esset. Quid tunc egerit David, cum molem illam carnis moveri sensit (sic enim appellat Chrysostomus, homil. 46 in Genesis), non constat. Quidam dicunt, tunc illum psalmum composuisse, aut recitasse, qui est inter Psalmos apud Hebræos 144, apud Latinos 145. Ducuntur autem eâ conjecturâ, tum quia illi rerum articulo accommodatus est, in quo vires et auxilium contra hostes implorat, tum quia titulus quem Septuaginta præferunt, hoc ipsum videtur verbis omnino disertis indicare. Sic enim habet: *Psalmus David adversus Goliath*. Et Chaldaeus illos ejusdem psalmi v. 10, ubi Vulgatus: *De gladio maligno eripe me*, legit: *De gladio Goliath eripe me*. Mihi certum est, in eo periculo otiosum, aut inertem non fuisse Davidem, cum à Deo jam ante fuerit illustratus, et scire certamen non esse de nihilo sed in eo de suo capite, de populi libertate, et de divino honore futurum esse certamen.

Quid autem dixerit Philistæus ad David, Scriptura satis aperte narrat; quid verò Thalmudistæ fingant, non tam ad veritatem, quam ad populi plausum, sicut ridiculum sit, dicam tamen, ut quale sit illorum iudicium, et quæ illorum commentariis habenda fides, nemo non videat. Sic autem paraphrasis illa de quâ nuper: «Vade, infans, et miserere infantie tuæ; quare tu committis bellum contra filium Jeonis?» Et plura alia in hunc modum. Et post pauca: «Beatus es, puer, si abieris à facie meâ, ne expuam in te, et submergaris in salivâ meâ. In die malâ egressus es, et in malo sidere. Pater tuus exclamavit, et mater tua ululavit! vae! vae!» Et iterum: «Aperiam os meum, et glutiam te. Deinde refert, quod passio ante de quinque lapidibus patriarcharum nominibus notatis dicebamus, neque minus abs re ex Thalmudistarum sententiâ in eo libello Antiquitatum Biblicarum, qui Philoni Judeo falsò tribuitur, locutus dicitur David, ubi dicit genus sibi cum Philistæo fuisse commune: «Profectus est, inquit, David ad Goliath, et dixit ei: Audi verbum antequam moriaris: nonne sorores erant duæ mulie-

vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei.»

(Corn. à Lap.)

res, unde natus es tu et ego? Et erat mater tua Orpha, et mater mea Ruth. Et elegit sibi Orpha deos Allophylorum, et et abiit post eos; Ruth autem elegit sibi vias fortissimas, et ambulavit in eis. Et nunc nati sunt de Orpha tu et fratres tui. Et quia exurgens hostis venisti devastare Israel, natus de cognatione tua ecce veni et ego vindicare populum meum. Nam et tres fratres tui post mortem tuam incident in manus meas. Et tunc dicetis matri vestre: Non peperit nobis, qui natus est de sorore tua. Haec ille, qui sanè non solum in hac facta narratione mendax, sed etiam fatuus est, qui non vidit, quid rerum natura et articulus ille durus postulare. Quis enim moras neceret, et sermones sereret familiares et longos, praesente morte, cum spectaret utriusque populi de dubio certaminis eventu sollicitus? Multò sanè ex rerum naturâ verisimilius est, quod Scriptura sacra de utriusque oratione narrat; alteri dat verba minarum atque contemptis plena, accommodata superbo ac barbaro gigante; alteri verba minantia quidem, modesta tamen, quique victoriam non suis viribus, sed Dei auxilio et invicta dextera, in qua spem totam collocat, et cui felicem certaminis exitum attribuit (1).

VERS. 45. — *NUMQUID EGO CANIS SUM? QUOD TU VENIS AD ME CUM SACULO.* Miratus est Philistheus novum pugnandi modum, cum in castris, ubi homines armati ferro, stricto gladio et hastâ rem aggrediuntur, appareat homo electus è multis, qui quasi rem esset cum canibus ac lupis habiturus, fundam ostentaret et

(1) VERS. 42. — *DESPEXIT EUM: ERAT ENIM ADOLESCENS RUFUS ET PULCHER ASPECTU.* Despexit Goliath Davidem, quia ipse erat adolescens, ac pene inermis et pulcher. Despexit ergo ejus ætatem, arma et pulchritudinem. Estimabat enim imbellem, eò quod esset tam pulcher. Bellicosi enim solent esse vultu marti et ferociter non eleganti et pulchro: Unde Isidorus Clarus: « Despexit, inquit, eum quod non esset vir bellicosus et pugnis assuetus: » nam carnabat eum juvenem rubicundum et et pulchro aspectu, quales martialis homines esse non solent, quos radii solares et assidua defatigatio deformes reddunt. Hinc Tertull. bellum Messie de quo dicitur Ps. 44, 4: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, I. 4.* Contra Judæos c. 9, probat fore spirituale, non corporale, eò quod præcessit v. 5: *Speciosus formâ præ filiis hominum.* « Valde autem, ait Tertullianus, absurdum est, si quem ad bellum ense cingebat, et de temeritate decoris et laborum gratiâ blandiebatur. »

(Corn. à Lap.)

luculum. Sed planè sicut Judic. 5, tempore Debboræ, sic etiam modo *nova bella elegit Dominus, et portus mortis ipse subvertit.* Ampliâcat hæc Goliath verba elegantissimè Chrysostomus, homil. 46 in Genesim: « Postquam, inquit, vidit Davidem pastorali perâ contra se contententem et lapides solum afferentem, ad hunc fermè modum ad eum dicebat: Patisti te adhuc apud oves esse, et canes quosdam persequi? et ita contra me quasi contra canem instrumentis illis instructus in pugnam venisti? Statim experientia discēs, non tibi cum homine vulgari bellum esse. »

ET MALEDIXIT PHILISTHEUS DAVID IN DIIS SUI. Solite erant execrationes apud gentes, quibus aliis, quibus essent offensi, à diis suis diras, et omne malum imprecabantur. Unde illud tritum comico: *Dii te dextæ perdat! Jupiter te perdit. Dii te infelicitent: Dii te eradicent!* Et similia. Cum ergo Goliath in diis suis maledixit Davidi, aliquid, opinor, dixit his execrationibus simile. Nempè: Dagon te Philistinorum Deus enecat! Derecto Palæstinorum atque Syrorum dea te evisceret, exculet, eradicet! Adigat te Baal ad infernas umbras, aut Mors exsaturet tuis carnibus canes et cortos (1)!

VERS. 46. — *ET DABIT TE DOMINUS IN MANU MEA.* Non curabat David, quid à deorum suorum offensione et irâ imprecaretur Goliath, cum

(1) VERS. 44. — *VENI AD ME, ET DABO CARNES TIBI VOLATILIBUS CÆLI.* Colloquium hoc Davidem inter et Goliath, Davidis religionem Thronice Goliath jactantia oppositam, spem divinæ opis solum opponens, illustrat atque commendat; id obtinebat apud veteres heros, ut ante certamen paucis verbis grandes minas in adversarios jactarent, et militaria facinora sua ostentarent. Alius placet usus hæc ætate; neque enim ultionem suam eò feret præquam, ut adversarii cadaver exponat quidam canum et avium. Modestius sentimus, saltem specie tenus. (Galmel.)

VERS. 45. — *DIXIT AUTEM DAVID AD PHILISTHEUM: TU VENIS AD ME CUM GLADIO ET HASTA ET CLYPEO, EGO AUTEM VENIO AD TE IN NOMINE DOMINI EXERCITUM.* Hinc patet Davidem à Deo impulsum susceptisse hoc duellum; aliqui enim tenerè juvenis giganti, inermis armato, imbelles bellicosus se opposuisset. Ita Joseph., Theod. et alii. Deus ergo illi animos æque ac vires indidit, ac spem certam victoriæ. Unde scribit David:

(2) VERS. 46. — *ET DABIT TE DOMINUS IN MANU MEA, q. d.:* Idcirco planè inermis tibi armato occurrō, ut ostendam me uno Deo niti, et in eo omnem victoriæ spem reponere, quod scilicet ipse te adeo elatum meâ manu percutiet et occidet, « Sic, sic, ait S. Aug. serm. 5 de verbis Apostoli, aliter non, omninò aliter non prosternitur inimicus. Qui pugnat viribus

seiret Palæstinos deos, sicut gentilicos alios, neque vim habere ullam ad salvandum, neque facultatem ullam ad nocendum; sed omni potius sensu ac motu carere. Ne tamen aliquem ostenderet metum ex gigantis comminatione conceptum, illi ex adverso maledicit; à Deo tamen vero, à quo sicut sperari omnia possunt, sic etiam timeri. Maledicit tamen modestè, per futurum, ut non tam optare, quàm prædicere adversarii mortem videatur. Illam verò gloriam, de qua non videtur ambigere, Deo tantum adscribit, cujus admirabilem potestatem commendat. Et hoc se vehementer optare indicat, ut omnes cognoscant esse in Israel protectorem Deum, qui neque gladio indiget, neque aræ casside, aut squamatâ lorici, ad instructissimas inimicorum acies temporis momento conficiat.

ET DABO CADAVERA CASTROBUM PHILISTHEM HODIE VOLATILIBUS CÆLI. Non satis sibi habet novus miles David, quæ est in Deum spe, unum sternere Goliath; sed etiam sperat futurum, ut dissipent castra Philisthim, et eorum cadavera vultures alant, et funestas alias cœli volucres, et sylvestres feras. Quod prævidisse videtur prophetica luce, ut putat Lyra: nam reverà eodem prorsus accidit modo quo ipse presenserat, et modò prædicit. Cum enim cecidisset Goliath lapide percussus, etiam ceciderunt aliorum animi, quibus ille vivus omnia expedita, atque secunda promittebat; unde contigit, ut illorum plurimi strati jacuerint in viis quas fugientes impleverant.

« suis, antequàm pugnet ipse prosternitur. » Hæc voces Davidi inermi victoriam et regnum pepererunt. Unde Basil. Seleuc. orat. 45, exclamavit: « O plenas amoris divini voces, vel ante victoriam potius victoria! O qui palam fecistis fidem ad pugnam armis non indigere! » O qui in te ipso palam fecisti fidei vim! tales animas legere novit gratia, quare et cura « gregis discentum vocavit ad regnum. » Audi S. Chrys. hom. de David et Goliath: « David dixit ad eum: Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo; ut terrenis dimicas, ego cælestibus pugno, tu in lanceâ, ego in fide; tu in clypeo, ego in pace; tu venis ad me in armorum virtute, ego in potentissimo genitore. Denique in te tua arma venturum, in te tunc gladius exercetur. Dei est enim hæc pugna. Dei erit et ipsa victoria. » Pater Josephus 6 Antiq. c. 10, Davidem Goliath dixisse ait: « Tu me invadis hastâ tuâ confusus, et thorace et gladio; mihi verò pro armaturâ Deus est, qui te ac tuum exercitum hodie nostris manibus deleiturus est. » Nota *mihi verò pro armaturâ Deus est. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8.

(Corn. à Lap.)

VERS. 47. — *ET NOVERIT UNIVERSA ECCLESIA HEC, QUIA NON IN GLADIO, NEQUE IN HASTA SALVAT DOMINUS.* Ecclesia congregatio est, et conventus populorum sive in agris sit, et castris extra civitatem, sive intra moenia certo ac definito ambitu conclusa. Sic filii Israel, dum adhuc essent in deserto, Ecclesie vocantur, et quicumque conventus, ubicumque locorum esse contingat, eodem afficiuntur nomine. Ab exemplis abstineo, quæ nusquam non occurrunt. Optat igitur David, non ut ex hoc certamine aliquid sibi dignitatis accrescat, sed ut omnes Ecclesie, id est, omnes populi et lingue, sive in sylvis degant, sive civili cultu sese intra septa contineant, cognoscant, Deo ut amicos salvet, et inimicos funditus extinguat, non opus esse ferro, non bellandi peritiâ, cum per inermes atque in bellando imperitos et rudes, maximas possit et soleat comparare victorias (1).

VERS. 49. — *ET MISIT MANUM SUAM IN FERAM, TILITQUE UNUM LAPIDEM.* Non difficile est conjectare, unum tantum esse lapidem, quo David ingentem illam et vastam molem deiecit in terram; cum id aperte Scriptura doceat, cum in eo congressu unius tantum lapidis manerit. Sed sunt, qui tribus lapidibus appetitum esse dicant et confectum gigantum, ita eodem modo dicit à Christo, Matth. 4, victum esse Satanam tribus tentationibus, quo Goliath à Davide tribus lapidibus. Idem tenet Magister Historiæ scholasticæ et Hugo. Sed horum cogitatio longè aberrat à litterâ.

ET INFIXUS EST LAPIS EIES IN FRONTE, ET CECIDIT IN FACIEM SUAM (2). Josephus ad cerebrum us-

(1) VERS. 48. — *CUM SURREXISSET PHILISTHEUS.* An adversarium sedens opprobriabatur, ut in textu innuitur? Mos iste apud veteres sese prodit. Galli, et è Romanis multibus, qui *triararii* appellabantur, certamen sedentes expectabant. Virgilius lib. 8 de Bello Gallico: « *Facies, ubi considerant; nam in acie sedere* » Gallas consensio, *superioribus commentariis declaratum est.* (Galmel.)

(2) Mystice S. Aug. serm. 197 de Tempore: « Videat, ait, fratres, ubi David Goliath percussit, in fronte utique, ubi crucis signaculus non habebat. Sicut enim baculus crucis typum habuit, ita etiam et lapis ille de quo percussus est, Christum Dominum figurabat. Ipse est enim lapis vivus, de quo scriptum est: *Lapidem quem reproboverunt adificantes, hic factus est in caput anguli.* » Et inferius tropologiam afferens: « Quod verò inquit, in fronte percussus est, hoc significat, quod modò in nostris competentibus exercetur, quia quando catechumenus in fronte signa-

que dicit penetrasse lapidem. Hebræorum alii affirmant primum lapidem pervenisse ad cerebrum; à secundo lapide illum cò adactum, ut ad capitis et cerebri medium perveniret; à tertio ad extremam et oppositam fronti partem esse compulsum. Sed quid isti non audent, modò ad popularem plausum? Quin etiam addunt, ex eo tempore cum circumcisio gladio fieret lapideo, deinde fieri ceptam esse ferreo. Neque necesse est illius mutationis ab illis causam querere, cum reddere non possint nisi ridiculam. Dicunt præterea, metallum durum ex aerâ casside cecisse lapidi, et locum reliquisse apertum ad frontem, quasi omninò à tegumento nudam. Ego potius dicerem, datam à Deo et Davidis dextera eam firmitatem, et excusso lapidi eam duritiem atque impetum, ut cassidem perfringeret, seu, ut alii volunt, non curasse Goliath, quid contra moliretur David, quem utpote inermem et inexpertum belli contemnebat: atque ideò non curasse partem illam apertam relinquere, cui infixus est lapis ad quam Deus excussum à Davide lapidem direxit. Cur verò in faciem potius, id est, pronus ceciderit Goliath, quam supinus, rationes etiam afferunt suo cerebro dignas: nam si supinus caderet, caderet utique longius à Davide, et propius Palestinorum castris, ad quæ cadendo caput convertisset. Tunc autem non aunderet David caput abscondere, cum aliquid ab hostibus timeret, quibus propius tunc esset adversarii caput.

VERS. 50. — PRAVALUITQUE DAVID ADVERSUS PHILISTEUM IN FUNDA ET LAPIDE; PERCUSITQUE PHILISTEUM INTERFECIT. Non obscurè ex ipso

etur, spiritalis Goliath percuitur et diabolus effugatur. Idem Aug. hom. 31 inter 50, in fine: « Goliath, inquit, de viribus suis superbus, elatus, inflatus, primò totam victoriam et universæ partis suæ in se uno constituit. Et quia omnis superbia habet impudentiam frontis, in ipsa fronte lapide veniente dejectus est. Evacuata est frons quæ habebat impudentiam superbie suæ, et vici frons quæ habebat humilitatem crucis Christi. Propterea et nos e signum ipsum crucis in fronte portamus, et quia illud intelligimus. » Ita S. August. ista homil. cuius titulus est: *de Monomachia Davidis et Goliath.*

Tropol. duellum Davidis cum Goliath representat inætam spiritus cum carne, qui scilicet carnem suam lapide austeritatis dejecit, et gladio mortificationis caput illi abscondit ne præsit, sed subsit. Unde S. Chrysost. Goliath vocat: *Turris carnis.* Rursum subigit sibi frontem, quia in fronte animi in dolos et passionem, ac præsertim superbia, impudentia et feritas cernitur.

(Corn. à Lap.)

textu sumitur, ad lapidis vulnus non statim obisse Goliath, sed cecidisse pronum moribundum, et tunc demùm egisse spiritum, cum illius caput amputatum est. Hic quoque miri sunt Hebræi, quorum jam pudet referre nugæ; sed devoremus has ineptias, ut illorum magis calcemus ingenium. Referunt Antiquitates Biblicæ, quarum auctor falsò traditur esse Philo, cum jam districtum ferrum ipsius faucibus immineret, dixisse Davidi Goliath: « Festina, et interfice me et exulta. Et dixit ei David: « Antequàm moriaris, aperi oculos tuos, et vide interfectorem tuum, qui te interfecit. Et respiciens Allophylus vidit angelum, et dixit: Non solus occidisti me, sed qui tecum aderat, cujus species non est sicut species hominis. Et tunc David abstulit caput ejus ab eo. » Deinde additur aliquid aliud non minùs à veritate et sanà mente alienum: Angelus, inquit, Domini erexit faciem David, et nemo agnoscebat eum. Et videns Saül David interrogavit eum, quis esset? Et non erat qui cognosceret eum. »

Philistæum à Davide percussum symbolum esse dicunt communiter Patres, diaboli, quem Christus in suà humilitate devicit. Sic Augustinus Dominicà 1 post Trin. serm. 2; Rupertus lib. 2 in cap. 1 Reg. cap. 5 et 6, ubi multa præclare. Tu pauca hæc sume ex Augustino: « Stabant, inquit, Hebræi, et pugare cum adversariis non audebant. Quare non audebant? Quia David qui Christi typpum gerebat, et nondùm venerat. Verum est, fratres charissimi, quis enim contra diabolum pugrare poterat, antequàm Christus Dominus genus humanum de potestate diaboli liberaret? David enim interpretatur, *Manu fortis.* Quis eo fortior, fratres, qui universum mundum vicit armatus non ferro, sed ligno? » Et paulò post: « Ante adventum Christi, fratres charissimi, solutus erat diabolus: veniens Christus fecit de eo, quod in Evangelio dictum est, *Matth 12: Nemo potest intrare in domum fortis, et eas ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem.* Venit ergo Christus, et alligavit diabolum. Sed dicit aliquis, si alligatus est, quare adhuc tantùm prævalet? Verum est, fratres charissimi, quia multùm prævalet: sed tepidus et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus, dominatur. Alligatus est enim tanquàm innexus canis catenis, et neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortiferà securitate conjunxerit. Jam videte, fratres, quam stultus est homo ille,

quem canis in cestrà positus mordet. Tu te illi per voluptates et cupiditates seculi noli conjungere, et ille ad te non presumat accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest nisi volentem; non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Venit ergo David, et invenit Judeorum populum contra diabolum præliantem; et cum nullus esset, qui presumeret ad singulare certamen accedere, ille qui figuram Christi gerebat, processit ad prælium, tulit baculum in manu suà, et exiit contra Goliath. Et in illo quidem tunc figuratum est, quod in Domino Jesu Christo completum est. Venit enim verus David Christus, qui contra spirituum rituum Goliath, id est, contra diabolum, pugnaturus, crucem suam ipse portavit. »

Hæc ideò longius ex Augustino descripsi, quia multa, quæ ab aliis, et ab ipso etiam Augustino aliis in locis afferuntur, his sunt quam simillima; de hujus historia aut morali aut allegorico sensu tractavit iterum Augustinus Homil. 51 de Monomachia David et Goliath; Ambrosius l. 1 Officiorum c. 55, et in Psal. 118. serm. 18; Chrysostomus, Homil. 46 in Genesim; et ibidem Homil. de David et Saule; et alià statim homilia de victoria David contra Goliath. Et latè super Psal. 50, Angelolus et Eucherius; Bernardus in Dominicà 4 post Pentecosten, ubi in fine admirabile quoddam documentum præbet contra superbiam, cujus symbolum videt in Goliath. In quinque lapidibus totidem agnoscit virtutes, aut animæ dimicantis arma, quibus cadit superba mentis tumens elatio. Hæc verò sunt *comminatio, promissio, dilectio, imitatio, oratio.* Quoties, inquit, vanitatis cogitatio mentem pulsit, si e intimo cordis affectu divinas expavescere ceperis comminationes, seu promissiones ejus desiderare, non sustinet Goliath utriusque libet lapidis jactum, sed reprimitur illicò tumor omnis. Quòd si venerit in mentem dilectio illa tam ineffabilis, quam tibi Deus majestatis exhibuit, an non illicò inardescens ad charitatem prorsus abominari incipis, et abjicere vanitatem? Sic et exempla sanctorum, si diligenti tibi consideratione proponas, erit sine dubio ad reprimendam elationem cogitatio ista perutilis. Jam verò si fortè insurgente subito elatione, nihil ex his, quæ diximus, apprehendere quiverit manus tua, toto fervore ad eam convertere,

quæ sola restat, orationem; et continuè quem elevatum videras et exaltatum sicut cedros Libani, subversus impiè jam non erit. Sed quæ ras fortasse, quemadmodum suo ipsius gladio Goliath possis abscondere caput? Id enim tibi tantò jucundius, quantò molestius hosti. Quoties te provocante vanitate, ad recordationem comminationis divinæ, seu promissionis, aut cæterorum, quæ supra diximus, confundi ceperis et erubescere, devictus est quidem Goliath, sed forsitan adhuc vivit. Accede itaque propius, ne fortè resurgat; et stans super eum mucrone proprio caput ejus absconde, de ipsà qua te appetit, et vanitate, perimens vanitatem. Elatè siquidem cogitatione pulsatus, si ex eà ipsa materiam et occasionem sumas humilitatis, quò mirum humiliter et abjectius tanquam de superbo homine sentias de te ipso; Goliath utique gladio peremisti. » Hæc optinè Bernardus.

VERS. 51. — ET TULIT GLADIUM EJUS, ET EDUXIT EUM DE VAGINA (1). Nondùm gladium exemerat Goliath, aut quia Davidis pugna celebritas non illi satis temporis reliquit ut illum expelleret; aut quia ex usu rei bellicæ prius pugnaturæ eminus bastà, quam cominus gladio, et hoc potius. Hinc ego colligo, Davidem virum esse robustum, quando gladio Goliath, quem gravem et longum fuisse oportet pro magnitudine corporis attemperat ad hastam magnitudinem, cujus ferrum sexcentorum sidiorum pondus habuit, et hastile, quod instar licitorii tententium erat, feminis crassitudinem. Adde, quòd gladius iste accommodatus dicitur et viribus, et corpori Davidis; alioqui cap. 21, cum illum Achimelec sacerdos Davidi reddidisset, non dixisset David v. 9: *Non est huic alter similis, da mihi eum.* Quod idem valet, ut ego opinor; non est hoc aliis accommodator. De quo suo loco pluribus.

(1) PRAECITATORE CAPIT EJUS. David ergo Goliath suo ipsius gladio peremit. Eò gloriosior fuit ejus victoria; licet enim Goliath lapide iectus corruerit in terram. non tamen illicò mortuus occubuit, sed tunc denum, cum David illi caput amputavit.

Allegorice D. August. serm. 197 de Tempore: « Quòd invenit, David non habens gladium accendit super Goliath, et eum proprio interfecit gladio, designatum est, quòd in adventu Christi, suo gladio diabolus victus est, qui per nequitiam suam et injustam persecutionem, quam exercuit in Christum, et omnium in eum credentium perdidit principatum. »

(Corn. à Lap.)

VIDENTES AUTEM PHILISTHIM, QUOD MORTUUS ESSET FORTISSIMUS EORUM, FUGERUNT. Plurimum momenti est ad secundum bellorum eventum in imperatoris salute, quæ si afflictari cœperit, et quod durius est, in acie cadere contingat, examinat etiam strenuos milites, eosque aut hostili ferro aut ignobili fugæ quodammodo devovet. Exemplorum satis est in utraque scripturâ, tam sacrâ, quam profanâ. Lacedæmones, ut auctor est Valerius Maximus lib. 2, cap. 6, et Ælianus lib. 6, c. 6, de var. Hist., ad dissimulandum et occultandum vulnerum cruorem, puniceis in prælio tunicis utebantur; cuius rei ille effectus est præcipuus, ne aspectus illius sociis terrorem, et aliquid fiducia atque animi hostibus afferret. Neque fortassè aliam ob causam Romanorum imperatores in acie vestibus utebantur purpureis, ne videlicet concolor è vulnere sanguis appareret; et aliis, qui vulneratum viderent duces, animos adimeret. Ita Plutarchus in Vita Bruti. Tale pallium gestabat Lucullus in prælio, ut idem refert Plutarchus in illius Vita; et Marcus Antonius, ut in Epodo tradit Horatius Ode 9. Et quidem Plutarchus idem in Vita Pelopidæ, tam Pelopidam ipsum, quam Marcellum, viros alioqui rerum gestarum gloriâ celeberrimos, reprehendit, quod nimia temeritate seipsos cum gravi exercitus detrimento perdidissent. Et de Pelopidâ ad finem ait, seipsam Pelopidam ac principatum suum præcipuisse.

In Scripturâ sacrâ exempla sunt clara. Duo habemus sub hoc ipsum tempus. Alterum est Azaelis, qui dux erat et princeps in exercitu David; qui cum occisus esset ab Abner lib. 2 Reg. cap. 2, et exanimis jaceret in viâ, milites omnes etiam in ipso ardore insequendi hostes morabatur et frangebatur animos alacres, et ad victoriam anhelantes: Omnes, qui transibant per locum, in quo ceciderat Azael, et mortuus erat, subsistebant. Alterum Amasæ 2 Reg. cap. 20: Amasa autem conspersus sanguine jacebat in mediâ viâ. Visit hoc quidam vir, quod subsistebat omnis populus ad videndum eum, et invenit Amasam de viâ in agrum, et operavit vestimentum, ne subsisterent transeuntes propter eum. Sed est optimum exemplum Holofernis, cuius mors exultantes victoriâ militum animos, et nihil sibi de suâ fortunâ atque virtute non promittentes, sic debilitavit ac fregit, ut quos mures paulò ante vocaverant, leones putaverint, et non in armis, sed in fugâ turpissimam spem vitæ posuerint. De quibus Judith cap. 15: Cùmque omnis exercitus decollatum Holofer-

nem audisset, fugit mens et consilium ab eis, et solium tremore ac metu agitati fugæ præsidium sumunt. Ita ut nullus loqueretur cum proximo suo; sed inclinato capite, relictis omnibus evadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant.

Moralis sensus ex hæc historiâ informari potest opportunè in hunc modum. Goliath iste, qui nunc est à Davide lapide percussus, superbi spiritus et superbiæ vitiorum reginæ symbolum est, ut ex Bernardo supra latè didicimus. Hæc, ut Gregorius docuit lib. 3 Moral. cap. 51, regina dicitur vitiorum omnium, quæque ut imperator in castris duces sub se continet plurimos, quibus vires sufficit et arma ministrat; quæ extinet aut exanimata, relique alie pestes animorum languescunt et cadunt; quòd si vivat vigetque, devictum cor vitis aliis calcandum et subigendum tradit. Sicut Josue cap. 10, principibus exercitus devictorum regum colla calcanda subiecit, v. 24: Et ait ad principes exercitus, qui secum erant: Ite et ponte pedes super colla regum istorum.

Eodem modo superbia, de qua Gregorius citato nuper loco: Ipsa, inquit, vitiorum regina superbia, cum devictum plenè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum cædit. Quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex eis procul dubio importune vitiorum multitudines oriuntur. Deinde exercitus horum ducum singulatum describit. Ut ergo superato Goliath, aliis ducibus excederent animi et effluerent arma de manibus, sic etiam si superbia vitiorum regina, dux et altrix subacta fuerit, tota concidit vitiorum inimica cohors.

Aliam ego hæc pugnam, aliud documentum invenio. Est quidem in Goliath, homine insolente ac stupido, superbiæ quoddam spirans, et vivum simulacrum, quæ plurima sub se fovet et continet vitia. Sed est etiam in hominibus singulis proprium quoddam et quasi naturale vitium, quod alia plura sustentat et fovet; quòd si sustuleris, alia etiam debilitantur et languent. In aliis dominatur libido; in aliis avaritia; alios invidia urit; alios emollit et frangit iners quædam et nimium delicata mollietas; alios rapit et præcipites agit iracundia. Quæ instar Goliath terrent subjectos animos, faciuntque, ut aliis etiam vitis, sine quibus illorum regnum stare non potest, obsequantur. Tunc autem à viris strenuis, quique victoriam de Philistinis, id est, de his quæ divinis con-

siliis et animarum commodis averterant, comparare student, eò entendum est, ut vitium illud, quod in suis animis dominari sentiunt, omninò expugnent, adhibeantque lapides quinque de torrente, et quidquid est in spirituali militiâ machinarum; et in nomine Domini in hostem illum familiarem et intestinum intorqueant; quem si ex suo loco statumque dejiciant, stravisse existimabuntur, non unum, sed multos hostes, quos ille in suo regno alienis sumptibus alebat, audientque triumphale illud Canticum, quod uno occiso hoste ceceperunt Israëlites psalteria Davidi: Percussit David decem millia. Sanè qui Absalomem hastâ perdidit, qui regnum patris seditione turbârat, totum exercitum, quem ipse contra patrem armaverat, edomuit. Qui Selam, à quo populus commotus est, ut à Davide deliceret, occidit, ille bellum extinxit et regni seditionem sustulit. Qui arborem succidit, de qua Dan. c. 4, ille omnes volucres ac feras fugavit, quas illius arboris rami atque umbra fovebant.

VERS. 52. — CEDERENTQUE VULNERATI DE PHILISTHIM (1). Cùm primum cecidisse viderunt Philisthæi, quem duces et propugnaculum exercitus putabant, quasi in suo quisque capite vulnus accepisset, amentes et attoniti, relictis castris, in fugam sese dant, in quâ cum sine ullo ordine atque consilio fugerent, magno numero hostili gladio ceciderunt. De numero nihil habemus ab Scripturâ certum. Josephus lib. 6 Antiq. cap. 11, triginta hominum millia perisse tradit, et duplò plura fuisse vulnerata. Cùm autem Hebræi Philistinios usque ad Geth et Accaron essent persecuti, reversi sunt ad castra, ubi hostes paulò ante conederant; et, quod consequens erat debilitumque victoribus, abstulerunt diriperuntque quidquid ibi pretiosum, et ad humanos usus commodum invenerunt. Quod fecerunt postea cives Bethulia, postquam occiso Holoferne, exanimati milites fugæ sese dedere; tunc enim invaserunt ac diriperunt castra,

(1) IN VIA SARAIM, ET USQUE AD GETH, ET USQUE AD ACCARON. Urbs Saraim inter urbes tribus Juda recensetur apud Josue 15. 56. Quamquam autem certus ejus situs ignoretur, jactis tamen necesse est inter vallem Terebinthi, Geth, et Accaronem. Neque alia fortassè fuit à Sarad, de qua apud Josue 15, 55. Geth et Accaron due sunt urbes Philistinorum celebres, quarum prior meridionalior est alterâ. Geth inter urbes Philisthæas maxime meridionalis fuisse, alibi demonstravimus.

(Calmet.)

quæ opinis onerata spolis deseruerunt Assyrii, Judith. 15.

VERS. 54. — ASSUMENS AUTEM DAVID CAPUT PHILISTHÆI, ATTULIT ILLUD IN JERUSALEM (1). Fecit David, quod alii fortasse fecerunt antea; fecerunt certè, si credendum fabulis; sed fecerunt postea tam gentiles et exteri, quam Hebræi; quod eo fecerunt consilio, ut de hostibus triumphum agerent, aut ut elevatis propositisque capitibus in conto prefixis, inimicis consternationem et timorem afferrent, sociis exultationem et animos. De Ptolomæo à Gallis occiso ita Justinus lib. 14: Ptolomæus nulli vulneribus cæcatus capitur; caput ejus amputatur, et lanceâ fixum totâ acie ad terrorem hostium circumfertur. Idem accidit Pisoni et Galbæ, quos Otho superavit, de quibus Cornelius Tacitus lib. 17 Annal.: Præfixa contis capita gestabantur inter signa cohortum. Ex hæc vulgari consuetudine Virgilius libro 9 cecinit: *Quin ipsa arrectis, visus miserabile, in hastis Præfixum capita, et multo clamore sequuntur Euryali et Nisi.*

Quod spectaculum sic affecit Trojanos, quos duos ante, id est, assuetos laboribus, et illis idoneè perferendis satis ab usu et fortitudine comparatos vocaverat, ut animum vultumque demiserint. De quibus statim:

Stant moesti, simul ora virum præfixa videbant
Nota nimis miseris, atroque facientia tabo.

De sacris est illud Judith, cap. 14, ubi caput Holofernis in muro suspensum est. Et caput Saülis infra, cap. 51, eo prorsus modo, quo caput Goliath à Davide, per civitates Palestinæ circumductum est. Et longè postea Nicænoris caput abscissum est, et eo loco suspensum, ut à Solymitanis videri posset, lib. 1 Machab. cap.

(1) Meritò S. Chrysost. Homil. de David cùm Goliath devicit, ei congratulans hoc Epiteticum cecinit: *Quibus ego te laudibus, cæ quibusque gloris præferam, sancle ac religiose puer, qui innocentia pares, virtute fortes, senes merito prævenisti; qui potuit cæ desistentibus cunctis immanem bellum vincere, hostem prosternere, inimicum populi detruncare? Tu enim deficiente rege, rex ipse et dignitate et merito exististi. In desistentibus fortiter in prælium prosilisti. Tu formidanti populo et Gallie sevitiâ mortuè henti, dum fortissimè geris, victoriam de hoste Dei populo tradidisti.* Basil. Seleuc. orat. 15: cæ sectum caput, ait, cum sectore gladio, victoria parenti donatum offert, et cùm quæ devicera, Deo offert, ei victoriam arrogat. O qui palam egisti fidem ad pugnam nullis egere armis! O qui in te ipso palam fecisti fidei vim! (Corn. à Lap.)

7, ad finem. Quibus locis abscissa principum capita in triumpho ab hostibus aut hastis præfixa, aut in publicis frequentibusque locis suspensa sunt.

ARTULU ILLUD IN JERUSALEM. Circumtulit Philisthæi caput David per plures alias civitates, per quas transibat victor exercitus, ut constat ex sequenti cap. v. 6. Nam ex urbibus dicuntur egressæ mulieres, et epinicum tam Saül quam Davidi cantasse. Sed cur præcipue Jerosolymam allatum dicitur vastum illud Philisthæi caput, eo maxime tempore, in quo nondum erat sub Hebræorum dominatu? Rationem reddit Abulensis à q. 37, quia licet arx Sion, id est, pars expugnata difficilis, esset in Jebusæorum potestate, quam ex illorum manibus postea extorsit David, et à suo nomine *civitatem* appellavit *David*, tamen reliqua pars civitatis Hebræorum dominatum subierat. Et quidem captum esse Jerosolymæ regem, et occisum à Josue, habes Josue 10, v. 23. Deinde captam civitatem à filiis Juda, Judic. 1, v. 8. Quare ratio non erat, quæ prohiberet gigantæum caput in eâ parte collocari, in quâ esset Jerosolymæ maxime conspicuum, quia illa nobilissima civitas fuit, atque idè tam insigni trophæo nulla pars in Chanaanidæ regione commodior. Deinde ut Jebusæi, qui civitatis arcem in suâ potestate diu retinebant, et nunc etiam obstinato consilio tenebantur, ex eo facto discerent expugnari posse arcem illam arte atque naturâ munitam, favente Domino Judæorum votis; sicut terror Hebræorum et arx Philistinorum firmissima Goliath, excusso è pastorali fundâ lapide, dejectus est. Hoc posterius indicat Theodoretus q. 41.

ARMA VERO EJUS POSUIT IN TABERNAculo suo. Quidam de tabernaculo fœderis accipiunt, quod eo sibi argumento persuadent, quia postea, cap. 24, gladium Goliath, tradente Achimelec sacerdote, sumpsit è tabernaculo. Sed si ita esset, cur historicus sacer addidisset, suo, cum Dei esset, et commune omnibus, non proprium Davidis tabernaculum? Mihi verisimile est, aliquandâ arma Goliath, quorum supra magnitudo et pondus descripta sunt, posita primum in Davidis tabernaculo. Nam habuisse tabernaculum proprium, in quo militari more degeret in castris, cum jam nobilis haberetur et princeps, strato tam insigni victoriâ Philisthæo, nemo, credo, dubitabit. Deinde arbitratur ab eodem Davide ad tabernaculum fœderis fuisse translata, ut eo dono fateretur divinæ fuisse virtutis viciorum illam, atque idè

extare oportere non in suo, sed in divino tabernaculo illius insignè monumentum. Quamdiu ergo duravit triumphus, et spectari à populo licuit immania illa feri hominis arma, fuerunt in tabernaculo Davidis, quia eò convenire debuerunt, quotquot vellet factum illud egregium cognoscere, et immanes illas tantæ monstri exuvias intueri; ubi autem sæpius videndo curiosos animos expleverunt, ad Domini tabernaculum transmissa sunt. Ita putant Abulensis, Cajetanus, nec displicet Hugoni.

VERS. 55. — De qua stirpe descendit hic adolescens (1)? Cur Saül Davidem ignoraverit,

(1) Quinque postremi versiculi hujus capituli desunt in Septuaginta, ac leguntur tantum in unico manuscripto Græco Alexandrino; sunt tamen in Hebræo, Chaldeo, Syriaco, Arabico, Latinis omnibus codicibus, ac legisse patitur in codicibus Græcis Theodoretum, constat ex ejus questione 43 in hunc librum. Denique apud alios Græcos codices extat in calce hujus capituli longa quedam additio, sub repetito certaminis Davidis cum gigante. Vide Annotationes in editionem Romanam, et novam editionem Hexaplorum. (Calmet.)

Saül dit à Abner : De quelle famille est ce jeune homme? On pourrait trouver étrange que Saül alors ne connût point qui était David, puisqu'il a été marqué auparavant qu'il l'avait eu auprès de sa personne, qu'il l'avait aimé, et qu'il l'avait fait son écuyer. Mais les interprètes ont remarqué qu'il s'était passé plusieurs années depuis le temps auquel David avait quitté la cour pour retourner chez son père, et celui auquel il vint à l'armée, et se présenta au combat contre Goliath. Et comme il était jeune alors, sa taille, son visage, ses habits mêmes pouvaient être fort changés, ayant paru d'abord comme un officier du roi, et dans cette dernière occasion, comme un berger qui venait de quitter son troupeau. Et de plus Saül pouvait connaître encore la personne de David, et avoir oublié de quelle race il était, qui est la seule chose qu'il demande, et qui lui importait beaucoup, parce que David devait épouser sa fille. (Sacy.)

Comment Saül, dit Voltaire, ignore-t-il ce quel est ce David? comment ne reconnaît-il pas son joueur de harpe, son écuyer? « Nous ne savons point de solution à cette difficulté. » Il n'est cependant pas difficile d'en trouver. Ne peut-on pas, 1° en attribuer la cause aux absences d'esprit auxquelles Saül était devenu sujet? 2° David n'avait paru devant Saül que pour calmer sa frénésie; il s'était retiré à Bethléem pour mener paître les troupeaux de son père, tandis que ses frères servaient dans l'armée. Quand il revint au camp pour savoir de leurs nouvelles, il n'y parut que dans le simple équipage de berger; est-il surprenant que ni Saül ni Abner ne l'eussent pas reconnu sur-le-champ. D'ailleurs, Saül ne demande point : Quel est ce jeune homme? comme Voltaire l'a exprimé dans sa traduction infidèle, il demande seulement : Quelle est sa famille? fait qu'un souverain ou-

cum illum sæpe canentem audisset, diximus supra, cap. 13. Neque est, cur quidquam hic addamus. Si verum esset, quod supra dicebant antiquitates Biblicæ Pseudophilonis, dum ferrum jagulo excepsisset Goliath, mutatam esse formam Davidis ab angelo, ita ut à nullo postea cognosceretur, mirandum non esset, si cum rediret e palæstrâ, ab Abner duce, et à Saûle rege non agnosceretur. Sed Antiquitates illæ, ut sæpius diximus, nullam merentur fidem. Quare rationes illas probo, quas ante,

blie facilement quand cette famille paraît re-
susciter à la cour. Saül avait une raison toute particulière de demander de quelle famille était ce jeune homme qui se préparait à combattre Goliath, parce que s'il était vainqueur, il devait épouser la fille du roi.

« On ne peut pas comprendre encore comment David porta la tête de Goliath à Jérusalem, qui n'appartenait pas au peuple de Dieu; c'est une anticipation, » etc. La ville de Jérusalem était divisée en haute et basse les tribus de Juda et de Benjamin s'étaient depuis long-temps rendues maîtresses de la basse-ville; mais les Jéruséens s'étaient maintenus dans la haute, qui était située sur le mont de Sion. Il paraît par le chapitre dix-huitième du premier livre des Rois que David après sa victoire parcourut plusieurs villes d'Israël, en portant la tête de Goliath; qu'il la porta aussi à Jérusalem où, de la ville basse, il la fit voir aux Jéruséens qui tenaient la ville haute, afin de jeter la consternation parmi eux. (Duclot.)

CAPUT XVIII.

1. Et factum est cum complisset loqui ad Saül, anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam.

2. Tulitque eum Saül in die illâ, et non concessit ei ut revertetur in domum patris sui.

3. Inierunt autem David et Jonathas fœdus; diligebat enim eum quasi animam suam.

4. Nam expoliavit se Jonathas tunicâ quâ erat indutus, et dedit eam David et reliqua vestimenta sua, usque ad gladium et arcum suum et usque ad balteum.

5. Egrediebatur quoque David ad omnia quecumque misisset eum Saül, et prudenter se agebat: posuitque eum Saül super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saül.

cap. 13, probaveram. Et illud hic observandum propono morali atque christiano philosopho, quam levem gratiam pro suis beneficiis sperare debeat ab homine mortali, quantumvis ille divitiis sit et dignitate potens. Est enim in potentibus maxime infirma et futilis, si tamen ulla est, beneficiorum memoria; et si qua, quod perquam rarum est, aliquandiu duravit, illam vel tenuis offensuscula obscurat et delet. Sæpius psallente Davide, ab spiritu laxabatur malo, et ab ingentibus animi ac corporis angoribus Saül, et tamen ignorat, à quo tam sæpe magnam illud beneficium acceperit. Et cum ignominiam à regio capite et ab Israelitarum nomine depulerit, inò et libertatem pepererit, quam populus ille exanimatus et pavidus videri perdidisse poterat, non propter aliquam Davidis incuriam, aut arrogantiam in loquendo, sed propter aliorum ingrata verba in triumphali plausu, sic illum animo insecutus est hostili, ut aëteras in eum, certè ad mortem usque inimicitias aluerit.

VIVIT ANIMA TEA, REX, SI ROVI. Hoc genus est jurisjurandi inter Hebræos familiaris; quod idem est, ac si dicas: Ita vivas, aut, per vitam tuam, ô rex, illud porro, si, idem valet quod non, ut pluribus ostendimus ad illud c. 14: Si ceciderit capillus de capite ejus.

CHAPITRE XVIII.

1. Lorsque David achevait de parler à Saül, l'âme de Jonathas s'attachait étroitement à celle de David, et il l'aima comme lui-même,

2. Saül depuis ce jour-là voulut avoir tousjours David auprès de lui; et il ne lui permit pas de retourner dans la maison de son père.

3. David et Jonathas firent aussi alliance ensemble; car celui-ci l'aimait comme lui-même.

4. C'est pourquoi Jonathas se dépouilla de la tunique dont il était revêtu, et la donna à David avec le reste de ses vêtements, jusqu'à son épée, son arc et son baudrier.

5. David allait partout où Saül l'envoyait, et se conduisait avec beaucoup de prudence. Et Saül lui donna le commandement sur quelques gens de guerre; il était fort aimé du peuple, et surtout des officiers de Saül.

6. Or, cette tranquillité dont jouissait David ne dura pas long-temps; car, à leur arrivée,